

V
J
927



R.1



Q.K. 403, 4

Vg
927

1.598



DE MISERABILIBUS MONASTERIENSIVM AN ABAPTISTARVM OBSIDIONE, excidio, memorabilibus rebus tempore obsidionis in urbe gestis. Regis, Knipperdollingi, ac Rrechtingi, Confessione & exitu, Epistola ANTONII CORVINI ad GEORGIVM SPALATINVM scripta.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)



22



DOCTISSIMO ET HVMANISSIMO
VIRO GEORGIO SPALATINO,
ANTONIVS CORVINVS GRA-
TIAM ET PACEM PER CHRI-
STVM OPTAT.



Literas tuas, Smalcaldiae sub Natalitia-
um pueri Iesu diem scriptas, Mona-
sterij in principis aula, Hessiacus qui-
dam tabellarius reddidit mihi, Spala-
tine doctissime, Qui quanquam oc-
cupatum me, in describendis ijs, quae
inter me, Ioannem Kymeum, & Anabaptistarum re-
gem acta erant, offenderet, tamen dictu mirum, quam
me exhilararit. Quis enim tanti viri, tam minime fu-
catam erga se adfectionem non exosculetur? Imo ves-
rum fatebor, Non in infima foelicitatis meae parte du-
co, abs te, ac tui similibus, subinde interpellari, partim
quod huiusmodi literis mutuum amorem & conserua-
mus & fouemus, partim quod fere serium quiddam
habent, quae a doctis iuxta ac pijs viris redduntur, ita vt
vel delectent, vel doceant, vel inquirendi res scitu ne-
cessarias occasionem prebeant, qualis fuit illa tua
Epistola, & humanitatis & eruditionis plena. Princi-
pio enim scribis, rem me facturum, longe omnium
gratissimam tibi, si apud Vuestphalos, vbi tum de-
gebam, inuestigem, quid de sylua Herculis ac Idolo
Irmenseul, eruditi vel sentiant vel certi habeant, Tibi
n. videri, Irmenseul, Harmanseul vocandū esse, vt sit
Harmoniū vel Arminiū, iuxta Cornelij Taciti, Strabo-
nis & Paterculi, sententiam, An non hoc est, sollicitius
de re & iucunda & scitu necessaria disquirendi suppe-
ditare occasionem? Equidem feci oppido quam libens
hac in re, quod rogatus eram, Sed plane mihi hic vsu
venit, quod Demiphoni isti Terentiano, qui auditis
A ij amicorum

Studiosus an
Iniquitatis et
non indiligens
historiographus

Hermes

amicorū aliquot sententijs, fecistis probe inquit, Incertior sum multo quam dudū. Quanto .n. diligentius ea de re percontabar, tanto incertior semper abibam, Remissus a quodam sum ad Chronica Saxonica, vt, in quibus certo fiat eius Idoli mentio, Remissus item sum ad Albertum krantz, & studiosum antiquitatis et non indiligentem historiographum, Sed quum neq; hic, neq; illic esse scirem, quod maximopere ad presentem quaestionem faceret, non fui de ijs autoribus legendis admodum sollicitus, Facit tamen nonnullam hisce de rebus mentionem krantz in sua Saxonía, libro videlicet secundo, capite vndecimo, adeoq; in ea plerosq; sententia esse adfirmat, vt, Irmenseul, Mercurij status am, interpretentur, propterea quod Hermes, Mercurius olim dictus sit. Ipse post, quam nescio coniecturam secutus, Irmenseul, Idermans seul, interpretatur, quasi commune profugium, & asylum omniū, Sed hæc non dubito, quin iam pridem tu quoq; & legeris & expendis diligentissime. Dixit alius quidam mihi, Esse in Bibliotheca Osnaburgensi, vetustissima antiquitatis monumenta, e quibus facile quis harum rerum certitudinem expiscari queat, Sed eam esse Canonicoꝝ istic commorantium, & pro pietate & pro re literaria adiuvanda sollicitudinem, vt præterquam tineis & blattis, eorum librorum copiam faciant nemini. Id quod ego facile inducor vt credam, nimirum re ipsa aliquando expertus, vt erga pietatem ac bonas literas bestia iste adfectæ sint. Conueni & monachum quendam, virū ita me Deus amet, bonum, sed vetulum, Cuius colloquium, quanquam & doctum esset, & mire me adficeret, tamen quod tuis votis vel responderet vel faceret satis, nihil omnino in mediū attulit, Præterquam quod dixit, Potuisse apud ipsos hac de re reperiri aliquid, nisi Anabaptistarum furor, optimos quosq; autores, quorū non contemnendum numerum habuerint, absumpsisset.

set. Vehementer tamen eidem tua coniectura placuit, in quam, ita etiam pedibus discessit, ut non prius sententiam hic se mutaturum diceret, quam certi aliquid ex probatis autoribus ostenderetur. Quocirca quum nihil audierim hactenus, quod vel usus tibi vel voluptati esse possit, malo inscitiam ingenue hic fateri, idque tantisper, dum certi aliquid comperero, quam incerta pro certis ad te perscribere. Si quid tamen vel amici interim communicarint, vel aliunde inuestigare dabitur, candide hoc ipsum tibi impertiemus.

Ceterum quod ad causam Monasteriensium ac Regis attinet, posset iusta hic Historia describi, si cui vel otium vel dicendi vires suppeterent. Necque enim ut ab hominibus nihili Tragedia hæc coepta est, ita pro vano quæ designarunt, habenda sunt. Porro si damnum, quod & Princeps eius ditionis sensit, & ciuitas ipsa accepit, æqua lance æstimes, iam non inepte dixeris. Flet victus, Victor interijt. Certe si me incolæ eius urbis, qui supersunt, & admirandæ foelicitatis vestigia non fallunt, Fuit respublica istic olim florentissima, fuit multarum rerum copia, fuit ingens hominum frequentia, fuit mira incolarum & comitas & ciuilitas, Sed eam foelicitatē, quam fortassis ingrati non agnouere, non homines clari turbauere, sed infimæ fortis, si vnum atque item alterum excipias, quosque nec eruditio nec probitas insignes ac commendabiles fecit, Seminarium horum malorum Rullius quidam fuit, homo Batauus atque turbandas politicas rationes ac perfidiam, plane natus. Is quum ciuitate eiectus, alibi perfidiae suæ poenas dedisset, successorem habuit Rotmanum, æque seditiosum, æque malum, æque perfidum. Hic adiutus Gnipperdollingi cuiusdam opera. Primum in clandestinis conuenticulis virus Anabaptismi serere coepit, Deinde quum seditiosissimum quemque sibi adiunxisset,

Rullius

Rotmanus

Gnipperdollingus

A iij

iunxisset,

unxisset, ita, vt se ab aduersariorum iniuria facile tur-
tum arbitraretur futurum, coepit propalam Anabaptis-
mum profiteri, adeoq; ciendis turbis studere. Et dici
non potest, quoties post hac in forum concursum sit,
quoties ad arma conclamatum, quoties ridicule seditio-
soforum voces, ad poenitentiam cohortantium, ni ven-
turum iam iam Domini diem, experiri velint, exaudi-
ta.

Knipperdollingum hic ferunt, sepe veluti Enthus-
iasmo percitum, per omnes ciuitatis vicos currere so-
litum, adeoq; obuiū quemq; adflando, ijs verbis, Ac-
cipe spiritum sanctum, allocutum esse, Quibus pre-
stigijs, quid posset excogitari vel stultius vel ridiculum
magis? Atq; hac Tragœdia eo processit, ac progressa
est, vt nec per Illustrissimi Principis nostri Landgraui
Legatos (qui tamen antea turbatas res inter Episco-
pum ac ciuitatem composuerant) nec aliarum ciuita-
tum literis mitigari potuerit. Ibi tum Prophetę exor-
ti, ciuitate boni eiekti, aliena bona direpta, adeoq; ea
designata sunt, quæ ne Turcam quidem, quantumuis
immitem ac barbarum, apud suos toleraturum fuisse,
credibile est, Quare sublata omni resipiscentiæ spe,
obsidio subsecuta est, Et quum parum foeliciter, bis
atq; iterum oppugnatio tentata esset, adeoq; ciuitas
ipsa erectis castellis aliquot per gyrum, corona cinge-
retur, ausi sunt aliud tentare facinus, vsqueadeo inso-
lentes vna atq; altera victoria effecit, Nimirum Re-
gem creauere, penes quem rei summam esse volue-
runt, pleriq; a plebe creatum existimant, Sed dixit ipse
mihi Rex, se a Propheta quodam, cui Deus eam rem
per visionem patefecerit, ad id fastigiū euectum esse,
vtcumq; sit, creatus, talem se gessit, vt plane regio mo-
re, circa ipsum administrarentur omnia, Coronam ac
diadema regium gestabat, equo per vrbem vectaba-
tur, aureis calcaribus vsus, iter facientem duo pueri
preceder

precedebant, præter aliam satellitum turbam, quorum alter gladium, alter Vetus testamentum portabat, Et poena parata erat, prætergredienti non congenudantibus, Aulam præfecturis ac offitijs ita instituerat, vt si natus Rex fuisset, prudentius non potuerit, fuit enim in excogitandis ijs, quæ regalem hanc pompam decebant, mirus artifex, ad hæc in patria lingua facundus, subdolos, fraudulentus & versipellis.

Reginam, pari secum honore habebat, cui etiam ceteras vxores, siue concubinas mauiis, subiecerat ac parere iubebat. Vnam ex ijs (erant autem numero quatuordecim) suapte manu, vtpote earum rerum quæ ibi gerebantur contemptricem, adeoq; transitionem ad hostes parantem, interfecit, idq; in Reginae palatio, fortassis vt cæteris timor incuteretur. Quod facinus, quum ego illi post, perinde atq; barbarum ac Scythicum obijcerem, respondit, Se, quicquid huius fecerit, iubente atq; imperante Propheta fecisse. Pari crudelitate omnes, quotquot nepharijs eius vel consilijs vel coeptis reclamare ausi sunt, necari iussit, Cuius rei testis adhuc est arbor Tilia, haud ita procula Canonorum Ecclesia, ad quam deligati, ac æneis tormentis transfixi sunt.

Addam stultitiæ quoddam ac temeritatis exemplum, Mulier quædam obsidionis tempore inuēta est, quæ se Episcopo facturam polliceretur, quod Iudith Holoferni olim fecisset, Neq; prius in urbem redituras, quam Episcopi caput vna secum retulisset, Et non defuerunt, qui stultissimis promissis, æque stulte fidem haberent, adeoq; belle ornatam, ad tantum facinus peragendum emittendam censerent. Sed statim finē inuenit tam insignis temeritas, vel si mauiis insania, deprehensa, n. crimen cōfessa ac necata est. Qua de re, ita quum aliquando

aliquando in rheda Horstmorriam veheremur, Iusi-
mus nos,

Forte Monasterium Presul dum cingeret urbem
Complesetq; omnes obsidione vias
In medio exurgens populi temulenta virago
Adfero pernitiem presulis hostis ait
Iudith Holofernem verbis delusit & arte
Remq; malam oranti premia digna dedit
Ipse Deus mihi consilium patefecit in hostem
Quem puto presentem propitiumq; fore
Urbe egressa igitur castris sese intulit audax
Tempus disquirens perfidiaeq; locum
Sed deprehensa aliud simulat fingitq; docetq;
Donec tormentis res patefacta fuit
Tum vero poenam nata est pro talibus ausis
Et perijt gladio iure necata suo,

Quid dicam de Propheta Ioanne Matthis, qui cor-
datum quendam ciuem, doctrinam ipsius in dubium
vocantem, simili supplicij genere, hoc est, aeneo tor-
mento occidit, testatus interim apud populum, coele-
stem patrem istuc & iussisse & imperasse: Tacebo
hic, ut sit suus honor auribus, quanta barbarie & ma-
litia vsi sint in puellis vitiandis, nondum aptis matrimo-
nio, id quod mihi neq; ex vano, neq; vulgi sermonibus
haustum est, sed ex ea vetula, cui cura, sic viciatarum,
demandata fuerat, auditum.

Hæc omnia, quanquam plus equo & mala & inaus-
dita fuerint antehac, tamen longe peiora adhuc de-
signaturi indubie erant, ni tandem, miserante Deo, &
penuria rerum omnium laborare coepissent, & per pro-
ditionem vrbs ipsa capta fuisset. Capta autem est, per
portam Crucis, profugo quodam, Episcopi milites ali-
quot, interfectis custodibus, in urbem ducente, qua
de re

de re, quum vestigia eius victoria nobis ostenderentur, ita statim iurimus nos,

Baptismus signum est mortis, crucis, atq; doloris

Cruce Anabaptistis semper in ore fuit

Idcirco vt propria damnati voce perirent

Cruce fuit insanis, diruta porta crucis.

Tum vero tantorum scelerum finis fuit, & digna talibus factis poena subsequuta est, Nam qui gladium, non iussi a Domino, arripuerant, miserabiliter per continuos aliquot dies interfecti, trucidatiq; sunt, Et quidem in omnes virilis sexus homines, atrocissime saevitum est, Sed tamen, si quis ea, quæ militarem hunc furorem excitauere, diligentius consideret, iam palam fiet, longe atrociora meritos esse. Rex ipse captus est, atq; Principem deductus. Captus est & Knipperdollingus, vna cum Krechtingo quodam, qui a consilijs regi fuerat,

Cæterum, direpta vrbe, tum primum, quanta rerum omniū penuria laborarint, etiamsi perfuge quoq; ea de re non nihil antea indicassent, compertum est. Prorsus intoleranda ac vehemens Saguntis fames fuit, quū a Pœnis obsidione premeretur, Fuit et Hierosolymis ingens fames, quum a Vespasiano obsideretur. At nihilo minorem sensere Anabaptistæ Monasterienses. Vidi ipse multos ibi liberos, quorum detracta coria, victum miseris suppeditarant, Et eo inedia postea ventum est, vt nullum corij genus, tam fuerit durum, quod non esculentum illis factum sit, Imo scio pueros quoq; comesos ibi esse, id quod ab ijs auditum mihi est, qui in reliquias quasdam, capta vrbe, eius rei testes inciderunt, Sed tamen tot tantisq; malis, adeo improbitas perditissimorum hominum imminuta non

B

est,

est, vt nihilo minus & choreas interdum duxerint, & spectacula ediderint, & omnia phana, omnes ædes sacras, destruxerint ac demoliti sint. Imaginibus adeo infensi fuere, vt etiam pictarum in parietibus ac fenestris, facies, oculos, ac ora misere fedarint. Deditio- nis nulla vnquam apud eos facta est mentio, Prophe- tis nimirum obsidionis solutionem nunquam non, vanissime promittentibus.

Sed quid enumerandis ijs, quæ lippis fere ac ton- soribus nota nunc sunt, fastidium tibi Spalatine pario? Ad Regē reuertar, de quo certi aliquid significari tibi postulas. Porro is, post captam urbem, quum specta- culi vice huc atq; illuc ductus esset, detrusus tandem est in carcerem, non Monasterij, sed in arce quadam Prin- cipis, eaq; egregie munita, quam Benerger vocant, Knipperdollingo ac Krechtingo Horstmariam missis, inq; vincula coniectis, verum post, quo consilio tam diu in vinculis habiti sint, antea quam mactarentur, id equidem ignoro, nisi forte diuina bonitas pœnitentia ac resipiscentia tempus iisdem obtulisse existiman- da est. Certe multis verbis huc prouocati sunt, Quod ad me attinet, ac Kymeum, Non solum errorem eius factionis, e sacris literis ob oculis eorum posuimus, verum etiam ea modestia conuictos in viam reducere conati sumus, vt si germani fratres fuissent, amantius non potuerimus, Cum Rege iusta disputatione con- gressi sumus, ordine hos locos pertractantes.

De Regno Christi.

De Magistratu.

De Iustificatione.

De Baptismo.

De Cœna Domini.

De humanitate Christi.

De Matrimonio.

Item

De regno Christi
Iam de Regno Christi corporali, quas bone Deus
nugas effucit? ut scripturam hic ad sua somnia detor-
sit? ut verbis curiam repleuit? Dodonæum æs dice-
res. Nulli tamen scripturæ loco æque fidebat, atq; isti,
quem ex Apocalypsi de mille annis selegerat. Hunc ita
iactabat, ita crepabat, ut facile adpareret, perditam
hanc factionem, solis ac meris somnijs niti, Dictu enim
mirum, quam nos, quum mille illos annos, de spiritu-
ali regno Christi, quod per verbum administratur in-
terpretaremur, contempserit. Obmutuit tamen non
nihil, quum interpretationis nostræ confirmationem,
nos quoq; ex Apocalypsi mutuari audiret, nimirum ab
eo, qui albo equo insidens, verax, fidelis, & verbum
Dei ibidem dicatur.

De migrati
Eadem inscitia de Magistratu garriebat, quem, ta-
meti ordinacionem Dei esse fatebatur, tamen rebelli-
onem, si quid secus ac Christus docet, iubeat, adproba-
uit, fretus petrina illa sententia. Oportet Deo magis
obedire quam hominibus, Vbi quum nos fateremur,
obedientiam quidem Magistratui non deberi, si nos a
Christi doctrina transuersos agere conetur, attamen
hinc non sequi, idcirco vim vi repellere, priuatis per-
sonis licere, Sed potius id faciendum esse, quod Chri-
stus docuerit, Si vos persecuti fuerint in hac ciuitate,
migrate in aliam, respondit quid nescio de eorum Ty-
rannide, qui rebellandi ipsis occasionem præbuisent.

De iustificatione
In iustificationis negotio, ita argumentis nostris
captus est, ut pedibus in sententiam nostram discedens,
ingenuè fateretur, Solam fidem in Christum, non pro-
pter dignitatē seu meritum operum, etiam eorum, quæ
fidem sequantur, iustificare & saluare, id quod tamen
neq; Papistæ neq; alij Anabaptistæ, ut credant, induci
possunt.

B ij

Baptismum

Baptismum paruulorum, modis omnibus execra-
batur, adultorum rebaptizationem, perinde atq; rem
Euangelicis literis omnibus modis consentaneam ad-
serens & comprobans. Interrogatus, quibus scripturis
vel rationibus hanc, in Ecclesia, nouationem probatu-
rus esset, Respondit, Christum quum Baptismum insti-
tueret, de doctrina, ad quam percipiendam pueri pa-
rum sint idonei, prius et precepisse et locutum esse, pra-
sertim tamen hoc nomine dixit Baptismum paruulo-
rum odisse se, qd & nupera res sit, & in conuenticulis
summorum Pontificum excogitata. Ibi quum nos vi-
cissim responderemus, fidem spiritus donum esse, Spi-
ritui autem eque proclive esse in puero, atq; in adulto,
vim suam exerere, pueros item eque ad Baptismum,
atq; olim ad circumcisionem fuerint, aptos esse, ad
haec, Sacramentorum vim, non a fide vel dantis, vel
percipientis, sed a verbo ac institutione Christi pende-
re, dixit, Sententiam se nunquam hic mutaturum, vt
quam sciat diuersam esse non posse a sacris literis.

De Sacramento Synaxeos, Inter caetera ad hunc
modum dixit. Quamquam Zuinglij sententiam, ea in
re, diu sit amplexatus, tamen aliud sibi reuelatum esse
iam nunc, ac antea senserit, Nimirum quod pondus
coenae, verbis detrahi nec possit nec debeat, id quod
fiat, si non perinde atq; sonant, Hoc est corpus meum,
Hic est calix sanguinis mei, absq; tropo accipiantur,
Attamen ea in re dissentire a nobis sese, quod Iudam qd
corpus Christi manducasse, & sanguinem ipsius bibisse
se adseramus. Ergo inquam Christi opera, non prius
vim ac efficaciam habebunt, quam fides nostra huc ac-
cedat? An non diximus iam, Sacramentorum vim no-
n a nostra vel credulitate vel incredulitate, sed ex Christi
verbis ac institutione pendere? Equidem fatemur, si-
dem hic requiri, & adesse debere, Attamen Deum id
circo,

circo, si non adsit fides, mendacij arguere non debeamus, sed in Pauli potius sententiam discedere, qui Iudeorum incredulitatem, Dei fidem non potuisse irritam facere, contendit, Sed age, ducamus Argumentum & a similitudine, Sol in quem vsus creatus est? An non ut luceat & diei presit? Iam si nos vel lolio victissemus, vel coeci omnino simus, ergo ne solem, quoque amittere fulgorem ac splendorem suum oportebit? Ea est & Sacramentorum ratio, Hic protinus Rex, Quae admodum per me vobis liberum est, hoc vel illud sentire, ita patiamini meo me hic sensu abundare.

De humanitate
Humanitatem Christi eatenus admisit, ut de Spiritu sancto conceptum, ac post, ex Maria virgine natum fateretur. Ceterum addidit, ex carne virginis Christum sumpsisse aliquid, neque verisimile esse, neque credi debere, propterea, quod non aliter ex Maria natus sit, atque per vitrum sol penetret, vel per canalem pluvia in terram feratur. Hunc nos errorem, & diligenter & multis, utpote mire noxium, refutauimus, Et quamquam pertinacissime Rex sententiam suam tueretur, tamen quum Emphasis eidem in hisce scripturae locis, In semine tuo, tuo. Item, de fructu ventris tui, tui. Item, Qui natus est ei ex semine David secundum carnem, subinde inculcaremus, dixit suum ipsorum commodum Luteranos agnoscere non posse, Porro si suam hic sententiam recipiant, nullo negotio omnia omnium Zuinglianorum argumenta in coenae causa & percelli & subverti posse, At nobis hic inquam, non cum Zuinglianis, sed cum Anabaptistis res est, sicque adfecti sumus, ut neque in vestri gratiam, neque in illorum odium ea facturi simus, quae nos parum deceant.

De matrimonio
Pluralitatem vxorum, quamquam fatebatur rem esse & nouam hoc seculo & vix ferendam, Tamen peccatum
B. liij. catum

catum ea in re agnoscere haud volebat, id quod fere solent, qui a populari aura pendentes, hoc solū agunt, populo, vt ob constantiam placeant. Sic enim iudicant, Satius esse agnitum etiam errorem non fateri, quam cum nominis per scelus quæsti iactura, si quid deliquerunt, agnoscere. Ac quum nos vicissim illi obijceremus. Nihil stultius esse ac sanctorum exempla, quæ & verbo Dei & præcepto non commendentur imitanda proponere. Respondit, Deum, quæ patribus permiserit, ipsis quoque pro peccato non imputaturum.

De regno
Atque hæc fere earum rerum, de quibus cum Rege in primo conflictu egimus, summa & veluti epitome est. At vero in altera disputatione, aliquanto mitius respondit, Ibi enim, quamquam Regnum illud Christi corporale, quod mille post resurrectionem annis duraturū sit, aliquo usque ad huc tueretur, tamen neque se neque Rotmannum, neque ex Prophetis quemquam, certi aliquid ea de re vnquam vel sensisse vel docuisse, fatebatur.

At vero Magistratum, quam hic efferre coepit, Magistratus inquit, Dei ordinatio est, cui obedientiam debemus nos, siue probi sint qui præsumunt siue improbi, id quod copiose apud Paulum videre est, Proinde peccatum etiam hic meum agnosco, vt qui contra Dei mandatum ac Cæsareas leges, gladium ac regiam dignitatem, a Propheta tantū iussus, vsurparim, adeoque tantū sanguinis, huius rei gratia, effundi vtrinque passus sum.

In iustificationis causa nihil mutauit, eam sententiam, quam in priore congressu amplexatus fuit, adprobans.

Baptismum paruulorum ita adhuc reiecit, vt tamē si vita donaretur, omnes Anabaptistas ad silentium ac obedientiam adacturum se polliceretur, In ea .n. nunc
else

esse sententia sese, vt fatius esse ducat, Baptismum infantibus impertiri, ex obedientia, quam eius rei gratia sursum deorsum miscere res mortalium.

In Synaxeos & Coenę negotio similis sui extitit, in pane quidem Christi corpus edi, in vino sanguinem ipsius sumi, confessus, Sed tamen incredulo, eum panem nihil pręterquam panem, & vinum nihil pręterquam vinum, esse.

Errorem de humanitate Christi, vt recantaret, nullo pacto induci potuit, promisit tamen, si vita donaretur, ne verbum quidem vnquam ea de re facturũ sese, Ad hæc vti omnes Anabaptistę conualescant, nihilq; vlla de re vnquam doceant, breui effecturum.

Pluralitatem vxorum eatenus liberam esse hic dixit, quatenus vnanimi Magistrat⁹ consensu, per totam Ecclesiam admittatur, Quod si a Magistratu prohibeatur, liberam esse non posse, Eoq; & se & omnes Anabaptistas, qui aliter fecerint, peccasse, plures vxores ducendo, & ob turbatum reipublicę Christianę statum, non immerito in manum hostium suorum incidisse, Quid moror? Multa nobis in hoc colloquio audita sunt, quę insignem miseri homini, cum inconstantiam, tum malitiam arguebant.

Iam hunc conflictum alia cum Knipperdollingo ac Krechtingo lucta excepit, qui vt neq; calliditate neq; facundia Regi pares fuere, ita, maius tedium nobis pererere ac fastidium, Et aptior futurus Knipperdollingus, ad gladiatorium munus erat, quam ad religionis controuersias tractandas, Porro si quis descriptionem eius hominis requirat, Nihil de Catilina scripsit Salustius, quod non in hunc quadret aptissime,
Magna

Magna vi fuit & corporis & animi, sed ingenio malo
prauoque, Cui etiam ab adolescentia, bella intestina, cæ-
des, rapinæ, discordia ciuilibus, grata fuere, ibique iuuentus
tem suam exercuit, Animus audax, subdolos, varius,
cuiuslibet rei simulator et dissimulator, alieni appetens
sui profusus, ardens in cupiditatibus, non nihil loquens
tix, sapientix parum, Vastus animus, immoderata, in-
credibilia, nimis alta semper cupiebat.

Hæc inquam, vt vere fortassis de Catilina scripsit
Salustius, ita tamen æque recte in Knipperdollingum
dici possunt, cuius temeritatem ac malitiam Rex etiam
ipse, audientibus nobis inculcauit, Nam venisse aliquan-
do ipsum, ac pro palam vociferatum esse dicebat,
Quod Iohan a Leida sit in corporalibus rebus, idem se
in spiritualibus esse debere, Et quum Regem habeant
corporalem, æquum esse, vt spirituales quoque habe-
ant, eam esse patris voluntatem, id quod in corde suo
testificetur spiritus, Alias quoque venisse eundem fate-
batur ac dixisse, Spiritum sanctum in corde suo testi-
ficari, tum demum Monasterienses vere iuxta patris
voluntatem victuros, si reiectis noui, pariter ac veteris
Instrumenti libris, suis quisque cogitationibus & somnijs
obsequatur. Cuius stultitiam postea imitatus Phryso
quispiam, pro spirituali Papa haberi voluerit.

Nihilo melior Krectingus erat, etiamsi is olim a
literis alienus omnino non fuerit, quas tamen postea,
Anabaptismi sacris iniciatus, præ nimia sanctitate con-
tempnit, Certe quod ad ferociam & seditiosum animū
attinet, plane hic par cum pari congregatus, & iuxta
Prouerbum, Eternius Pacidianum nactus erat, Cum
huiusmodi igitur monstris commissi, quam bone De-
us absurda, quam ridicula, quamque a scripturis ali-
ena audiuisimus? Krechtingus inter cætera liberum ar-
bitrium

bitrium de nouo defendere conabatur, Negabat item vim & efficaciam peccati originis, Quid? pluralitatem vxorum in iustificationis causam inmiscuit, homo non iniustus omnino, si plures vxores, & carnalis illa voluptas iustum facit. Huiusmodi artificio, quum in toto illo conflictu vterentur, maluimus scribendo, quam frustra altercando, negotium hoc transigere, Quocirca in carcerem iterum coniectis, scripsimus, & rescribentibus iterum respondimus, breuibus ea, quæ perperam ac minus recte adseruerant, confutantes, Quæ omnia vbi disputatio nostra cum Rege habita prodierit (prodibit autem breui) copiosius, ac describi hic possunt & visurus & lecturus es.

Ceterum post hosce nostros conflictus, non diu in vinculis habiti, sed statim Monasterium, maectandi videlicet, ducti sunt, Altera post Agnetis dies, ei negotio destinata est, Rex pridie quam maectaretur, interrogatus, Vellet ne sacerdotem ad se, cui peccata in aurem infusurret, adduci, an secus, Respondit, A prudentis viri colloquio ac consilio non abhorreere se, Imo magni beneficii loco habiturum, si dominum Ioannem a Siberg, Principis facellanum colloquii causa ad se admittant, Nihil hic petenti negatum, Protinus enim vt haberet, in cuius veluti sinum omnes animi æstus effunderet, is quem volebat missus est, Qui postea ad nos reuersus, miram fuisse miseri hominis poenitentiam renunciauit, adeo, vt etiam ingenue confessus sit, Si decies occidi possit, mortem certe decies meritum esse se, Et tamen induci non potuisse, vt errorem de Baptismo ac humanitate Christi recantaret, Ante omnia hoc conquestum dicebat, Dolere sibi vehementissime, quod illustrissimi Principis Landgrauii fidelissimum consilium, toties ac tam superbe adspernatus sit, quem nunc tandem intelligat, pio zelo, socia arma

C cum

cum Episcopo', contra furōrem, tum suum tum ciui-
tatis, quum omnis generis admonitiones adspernati
essent, coniunxisse, Quod si praesens Landgravius
esset, suppliciter se eius delicti veniam oraturum, id
quod nunc a Coruino ac Kymeo, quam primum in
patriam redeant, fieri cupiat.

Knipperdollingus neq; consilij neq; colloquij cau-
sa, admitti quemquam ad se orabat, antea in medijs e-
tiam tormentis gloriatus, quod nihil sibi conscius sit,
sed Dei tantum gloriam, ac suam ipsius salutem, cum
omnium rerum iactura, quesierit, Eadem arrogantia
nobis quoq; antea obiecerat, Luteranos in hoc tantum
esse Euangelicos, quod subinde conueniant, ac inter
pocula Psalmos aliquot decantent, Se vero a rebapti-
zationis tempore, non cantiunculis, sed re ipsa Chri-
stianismum suum ac professionem comprobasse, Imo
& iuxta patris sui voluntatem semper vixisse, & in nul-
lo reum postea factum esse, Amabo te mi Spalatine,
Quid Pharisaismum vocabis, si hoc non est Pharisae-
um agere? Eadem fuit & in Krechtingo pertinacia.

Postero igitur die, ad Tribunal Iudicis ordine per-
tracti sunt, adeoq; adculati, Regem primo egere reum,
maxima flagitia ac facinora, quaeq; inficiale m statum
haud quaquam admissura erant, vtpote toti Germanie
nota, eidem obijciantes, qui siue ad desperationem
actus, siue mortis terroribus extra se raptus, Contra
Magistratum quidem peccasse se, Respondit, sed non
contra Deum, Quasi vero non eadem ratione & in
Deum & in Dei ordinationem peccetur, Confessus
tamen & Anabaptismum, & seditionis & lesae maies-
tatis crimen, morti adiudicatus est, Ad quem modum
& in Knipperdollingum & Krechtingum, quum ob
eadem crimina adcularentur, neq; inficiari, quae desi-
gnarant, possent, lata mortis sententia est.

Rex

Rex omnium primus, quum ad supplitij locum, qui æditior aliquanto a terra extractus erat, duceretur, flexis genibus ac manibus complicatis, hæc tantum effatus, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, ad palum deligatus est, post ignitis ac candentibus forcipibus aliquamdiu excruciatatus, ac enectus, magno certe sacrificorum, quorum valde ferax semper fuit Monasterium, adplausu & lætitia, Quibus etiam ad solidum gaudium nihil defuit, præterquam, quod Luterani quoque eodem supplitij genere non tollerentur e medio. Non hic dicam, quanta fortitudine in perferendis cruciatibus istis usus sit (neque .n. vel vocem emisit, doloris testem) quod eam virtutem Ethnicis etiam præstiterint aliquando, adeoque certum sit, Satanam ipsos quos irretitos tenet laqueis suis, fere robur addere ac constantiam, An non .n. Socrates iam iam cicutam bibiturus, etiam iocatus in phædonem est, admonens, ut voto se liberans, Aesculapio gallum persolueret? Et photion iam iam necandus animo adeo sublimi mortem contempsit, ut etiam Atheniensibus, qui iam meritum ad mortem rapiebant, eam foelicitatem imprecatus sit, ut ne vnquam photionis meminisse possent.

Cum animam egisset Rex, ductus ad idem supplitium est Knipperdollingus, qui tamen ad palum deligatus, an aliquid locutus sit nescio, Certe qui non tam procul a supplitij loco aberant, quam nos, dixisse eundem ferunt, Deus propitius esto mihi peccatori, Alias inter cruciatatus perpetuum silentium fuit, Postremo Krechtingus, eodem supplitij genere periit, quem adhibitis forcipibus, bis, O Pater, o pater, exclamantem audiuius, Multos videre hic fuit, quibus spectaculo hoc nihil iucundius accidere potuisset, At nobis, ac alijs nobiscum perpendentibus, quicquid factum huius sit, propter peccata nostra factum esse, haud ita

C ij iucundum

secundum fuit, Equidem iure ac merito e medio sub-
lati sunt, istuc enim quis sanæ mentis nō fateatur? Sed
tamen interim nostra quoq; peccata agnoscere debe-
bamus nos, quorum & enormitatem & magnitudi-
nē Deus, hisce ceu flagellis Deus vlcisci voluit. Quod
si nunc perinde atq; confecto bello, in vtramuīs aurem
otiosi dormire cœperimus, eadem insania Euangelij
cursum remorantes, ac antea, iam vehementer timeo,
ne nobis quoq; vsu veniat, quod de Satana Christus
dicit in Euangelio, Cum immundus spiritus exierit ab
homine, perambulat per arentia loca, quærens requi-
em & non inuenit, Tunc dicit, Reuertar in domum
meam priorem, vnde exiui, & cum venerit, reperit
eam vacantē, & scopis purgatam, atq; ornatam, Tunc
abit, & adiungit sibi septem spiritus sceleratiores se, &
ingressus habitat illic, & fiunt postrema hominis illius
pelora primis, Sic erit & generationi huic peruersæ.

Porro quis neget, Euangelij & contemptum &
persecutionem, nusquam maiorem fuisse in toto orbe,
atq; in inferiore Germania? Rursus, Quis non fatea-
tur, Nusquam sectarum maiorem, atq; ibidem esse
vbertatem? Videlicet sic contemptum sui vlciscitur
Dominus, vel Apostolo teste, Sic enim inquit, Pro eo
quod dilectionem veritatis non receperunt, in hoc, vt
salui fierent, propterea mittet illis Deus efficaciam illu-
sionis, vt credant mendatio, vt iudicentur, qui non cre-
diderunt veritati, sed approbauerunt iniustitiam etc.
Sed ad rem, Cum dignum de facinorosis hominibus
sumptum esset supplitium, inclusi tandem sunt, singuli
in singulas fiscellas, easq; & ferreas & cancellatas, ita
vt a longe & conspici & agnosci possent, Ac post ad
summitatem turris diui Lamberti adfixi, Non solū in
hoc, vt perpetua harum rerum extet memoria, Verū
etiam vt omnibus seditiosis exemplo ac terrori sint, ne
quid

quid tale vel tentent vel audeant in posterum, Atque hic
fuit pessimæ huius Tragoediæ pessimus exitus, Annus
ac diem in quo acta hæc sunt, versibus plusquam ex
temporaneis ita nos complexi sumus.

Quingentos si ter numerare fideliter annos
Pergas, Dein senos addere terque decem
Regis habes certum tempus tunc iure necati
Quo vix in terris nequior alter erat
Deinde diem si nosse voles, Vincentius illum
Martyrio fecit tempus in omne sacrum

De Euangelico negotio, quod tu forsan in eâ dis
tione belle procedere arbitraris, nihil est, quod maxi
mopere glorier, Imo tanto Anabaptistis iniquior sum,
quanto certius comperi, illorum malitia ac perfidia fa
ctum esse, vt vix mutire nunc audeant, qui antea veri
tati fuere addictissimi, Nimirum ijs, penes quos rerum
summa est, semper timentibus, ne illud doctrinæ ge
nus, quod profitemur nos, ab Anabaptistarum dog
matis diuersum non sit, quum tamen a terra coelū tam
non distet, quam nobis cum turbatoribus istis & Ec
clesiarum & rerumpub. non conuenit

Certe Episcopus ipse vir & bonus & comis, & hu
manus & syncerus est, quem etiam ego ob insignes il
las & vere heroicas cum corporis tum animi dotes,
non possum non & amare & suspicere, & reuereri ex
animo. Testis harum rerum aula ipsius est, tam egre
gia nobilitate referta, vt nihil supra, Nobilitatem ibi
metiuntur, non arrogantia vel titulorum vel stemma
tum, sed virtute ipsa, quæ res vere nobilitatis apud pri
scos etiam origo fuit, Quid dicam de ijs, quos & a se
cretis & ab epistolis habet? Videre in eo sodalicio est,
viros & eruditione & pietate & multarum rerum usu

C iij,

claros,

claros, Me certe ac Kymēum nostrum, ita tractarunt,
eo loco habuerūt, vt si fratres germani fuissent, amantius
non potuerunt, Quibus etiam rebus ita nos sibi
deuinxerunt, vt nullo vnquam aeo intermoritura apud
nos sit illorum memoria, Et dabitur aliquando oportunitas,
copiosius hisce de rebus dicendi, Obiit per hosce dies apud
nos Ioannes Campis, illustrissimi Principis nostri Langraui
Contionator, vir & bonus & doctus & de pietate optime
meritus, Et cui vel in primis pietatem Principis nostri,
secundum Deum debemus, Certe si votis promoueretur
aliquid, optarem in locum illius aequę bonum & sincerum
surrogari, Neque enim parui refert, bonos Contionatores
conspici apud eos, qui & capita rerum sunt hoc tempore
& vel in primis doctrinam fouent Euangelicam, Sed in
dubie Deo hæc, modo precibus nostris assidue pulse-
tur, curæ erunt, Pulsari autem & uult & debet, veluti
Christus inquit, Ora Dominū messis, vt mittat opera-
rios in messem suam. Vale mi spatine, & me quod
facis perpetuo ama, redamantē te mirifice, Ex|VVicē-
hufio xxxvi.

Cum literæ tuæ nobis Monasterij redderentur, ac
cepimus simul & ab alijs bonis viris Epistolas, a Do-
ctore videlicet Georgio Curione, Physico Brunsvigiano
amico meo charissimo, Ab Heifone, item, von
Oskersleue eisdem ciuitatis ciue, Postremo a Geor-
gio Rhau, typographo VVitenbergensi, sed quarum
idem fere argumentum erat, Omnes enim me horta-
bantur, vt quod in enarrandis dominicalibus Euange-
lij, anno superiori præstitissem, idem præstarem &
in Epistolis Dominicalibus, & ijs Euangelijs, quæ in
diuorum festis legi consueuerunt, Et addidit Georgi-
us Rhau, idem Melanthonem meum & velle & cupere,
qui eius rei gratia breui etiam ad me scripturus sit,
Quid hic facerem? Amicis non illibenter morem ge-
rere

gere soleo, præsertim tam æqua postulantis, Proinde
de ad enarrationem huiusmodi, siue Homilias maui,
tamdudum me accinxi, periculum facturum, An
ego quoq; Ecclesiæ tot modis afflictæ prodesse
queam, Tu sub eo onere sudantem, vide
sis, vt precibus adiuues, Neq; enim
vel tantillum absq; eius præsidio
possum, qui operatur omnia
in omnibus, Iterum Va
le Spalatine sua
uissime.

•••

VITEBERGAE APVD
GEORGIVM RHAV.
M. D. XXXVI.

Handwritten numbers in blue ink: 727 and 67

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, appearing as ghostly impressions of a printed or written document.

MIRRORED PRINTED TEXT: VITTEBERG AB APVD
G. O. R. G. I. V. M. R. H. A. V.
M. D. C. C. X. X. V. I.

Handwritten number in blue ink: 74



X 2207038



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13



Vg
927

1.598



DE MISERA
LI MONASTERIENSIVM
N ABAPTISTARVM OBSI-
ne, excidio, memorabilibus rebus tempore
obsidionis in urbe gestis. Regis, Knipper-
dollingi, ac Rrechtingi, Confe-
sione & exitu, Epistola
ANTONII CORVINI ad
GEORGIVM SPALATINVM
scripta.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)

